



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theodōritu Episkopu Kyru Kai Eyagriu Scholastiku  
Ekklesiastikē Istorìa, Eklogai Apo Tōn Istorion  
Philostorgiu Kai Theodōru**

**Theodoretus <Cyrrhensis>**

**Mogvntiae, 1679**

In Caput VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14162**

nonem Augustum perferendæ, quibus supplicabant Episcopi, ut decretis Synodi obtemperare vellet. Aliæ item litteræ ad Clerum & Senatam ac populum Constantinopolitanum. His duabus autem epistolis subiectæ erant supradictæ litteræ Synodica, scriptæ ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopoli & per Bithyniam consistentes, quibus universi & singuli subscriperant Episcopi, numero tres & quadraginta. Quod quidem eo consilio factum est ab Episcopis, ne ipsorum litteræ à malignis hominibus mutari possent, aut pravis interpretationibus corrumpi, ut testantur Episcopi in epistola illa Synodica, his verbis: *Ne quid autem maligne in litteris nostris mutari apud pravissimas mentes, aut aliter interpretari possit, primum has easdem litteras nostras clementissimo Principi, sicut oportuit, supplicantes, ad Dilectionem vestram, Clerum, prebendamque, & amplissimum Senatam direximus, quibus singulis universisque subscripsimus.* Extant hodie litteræ, tum ad Zenonem Augustum, tum ad Clerum & plebem Constantinopolitanam scriptæ, quas primus edidit Jacobus Sirmundus sub Felice Papæ nomine, quas ad hanc Synodum pertinere non dubium est. Scriptæ sunt enim à Felice Papa totius Synodi nomine, sicut mors erat Ecclesiæ Rom. jam inde ab antiquis temporibus, quemadmodum disertè testantur Episcopi in epistola supra memorata. Subscriptiones autem Episcoporum ex parte tantum superfluit. Solius enim Candidi Tiburtini Episcopi legitur subscriptio. Reliquorum autem duorum & quadraginta Episcoporum qui similiter subscriperant, nomina desiderantur. Scripsit præterea Felix ad Orientales Episcopos, mandans eis, ut à Petri Antiocheni, utpote hæretici, & Synodali sententiâ damnati, Communione abstinerent. Hæc epistola Felice hodie quidem non extat; sed ejus mentionem facit Victor Turonensis in Chronico, ita scribens: *Theodorico V. C. Cos. Felice Romane Ecclesiæ Prasul, Monachis & Clericis per Orientem, Ægyptum, & Bithyniam commorantibus scribit, ut Petrum Alexandrinum Episcopum, Chalcedonensis Synodi obtrectatorem, & ejus communicatores, id est, Acacium & Petrum Antiochenum, tanquam hæreticos vident.*

In Caput V.

His Literis acceptis, Tutus defensor Ecclesiæ Romanæ in Orientem navigavit. Cùmque Abydum venisset, vitatis insidiis quæ illic dispositæ erant ad interceptiendos eos qui ex Occidentis partibus veniebant, Constantinopolim pervenit, ubi cum Monachis Acæmitensibus collocutus, eorum operâ ac ministerio sententiâ damnationis quam attulerat, Acacium inter alaria tradidit, ejusque pallio affixit, ut scribit Victor Turonensis, & Liberatus, ac Theophanes. Epistolas quoque Felice Papæ iis ad quos scriptæ erant, reddidit. Sed & Edictum sententiæ Felice Papæ univer-

sis in urbe Constantinopoli legendum proposuit. Inter sententiâ verò & edictum sententiæ hoc discrimen est, quod sententiâ quidem ipsum nominatim alloquitur Acacium. Nihil enim aliud est quàm epistola Felice Papæ ad Acacium, causas depositionis illius continens, ut ex lectione ejus apparet. Edictum verò est, quo interdicitur universis, tam Clericis, quàm Laicis, ne Acacio in posterum communicent. Id autem sic se habet: *Edictum sententiæ Felice Papæ, propter Acacii Episcopi Constantinopolitani damnationem. Acacius, qui secundo à nobis admonitus, statutorum salubrium non desistit esse contempit, neque in meis creditur carcerizandum, hunc Deus cælitus prolata sententiâ, de sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quis Episcopus, Clericus, Monachus, Laicus post hanc denuntiationem eidem communicaverit, anathema sit, Sancto Spiritu exequente.* Erravit igitur Blondellus, qui in libro de Primatu, scribit Tutum defensorem, vel potius Monachos Acæmitenses, edictum sententiæ Felice Papæ Acacio tradidisse. Immo sententiâ ipsam tradiderunt Acacio, ut præter Scriptores supra memoratos, disertè testatur Evagrius in libro 3. His omnibus fideliter peractis, sicut in mandatis acceperat, Tutus, cùm se ad reditum jam pararet, dolis Acacii circumventus est. Missus enim ad eum senex quidam Maronas nomine, magnam vim pecuniæ ei pollicitus est, si Acacio consentire vellet, eique omnia quæ Romæ contra ipsum agebantur, aperire. Quod quidem Tutus amore pecuniæ corruptus, scriptis litteris se facturum spondit. Verum Rufinus & Thalassius Archimandritæ, & cæteri Monachi Constantinopoli & per Bithyniam constituti, simul atque Tutus Romam reversus est, litteras scripserunt ad Felicem Papam, quibus cum de prodicione Tuti certiore fecerunt, missi etiam Tuti ipsius litteris. Quibus in conventu Episcoporum recitatis, cùm eas à se scriptas esse Tutus confessus fuisset, officio pariter & sacrosancta Communione privatus est, ut docet Felix in epistola ad supradictos Archimandritas, quam primus in lucem edidit Jacobus Sirmundus. In ea epistola corrupta sunt hæc verba: *Læsa sunt enim litteræ ipsius in conventu fratrum, qualiter pacta, interpositâ personâ, Marone condemnato, ei cui sententiâ portarat, inhaesisse creditur. Quæ sic corrigenda esse existimo: Qualiter pacto interposito, per senem Maronam condemnato ei cui sententiâ portarat, inhaesisse creditur.*

In Caput VI.

Cæterum in edicto sententiæ quod superius adduximus, difficultate non carent hæc verba: *Acacius qui secundo à nobis admonitus, &c.* Primò quidem admonitum esse scimus Acacium à Felice Papa per epistolam ad ipsum scriptam, quam Legati sedis Apostolicæ Vitalis atque Misenus Constantinopolim detulerunt. Sed secunda ejusdem admonitio quæ-

quam sit, & quando missa fuerit, obscurum est. Liberatus quidem in Brevariario scribit, post damnationem Vitalis atque Miseni, cum Acacius manifestè deprehensus esset hæreticus, Felicem Papam in Synodicis Litteris quas ad eum scripsit, ita posuisse: *Peccasti: ne adicias; & de prioribus supplicia.* Liberatum sequutus est Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Verùm observavi, in Acacianæ historiae narratione Liberatum sæpius hallucinari: idque ex hoc loco manifestissimè convincitur. Qui enim fieri potest, ut Felix Papa has Synodicas litteras quas refert Liberatus, post damnationem Vitalis ac Miseni ad Acacium scripserit, cum constet Felicem Papam, quarto aut quinto die post damnationem illorum, sententiam depositionis misisse ad Acacium, ut superius demonstravi. Alia igitur querenda est admonitio, quâ Acacius secundo admonitus fuerit à Felice. Mihi quidem hæc secunda admonitio non alia videtur esse, quam Libellus citationis à Felice Papa ad Acacium transmissus per Vitalem ac Misenum Legatos: qui sic incipit: *Episcopali diligentia commouente, debuerat dilectio tua, &c.* Nec dubitabit, ut spero, quicumque cum libellum legerit, quin hæc sit secunda admonitio Felicis Papæ ad Acacium missa. In hac enim epistola Felix Papa benignè monet Acacium, ut accepto libello accusationis quem Joannes Tabennesiota sedi Romanæ adversus ipsum obtulerat, Romam quamprimum proficisci maturet, objectis criminibus responsurus in conventu Episcoporum Italiae.

In Caput VII.

IN sententia item depositionis quam Felix Papa misit Acacio, locus est quidam qui lectorem conturbare merito possit. Sic enim legitur in fine ejus sententiæ: *Sublatum tibi nomen & manus ministerii sacerdotalis agnosce. Sancti Spiritus iudicio, & Apostolica auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.* Nimia enim profectò videtur illa severitas, & aliena ab Antiquitate Christiano, hominem anathematis vinculo ita obstringere, ut eo nunquam exui penitus possit. Sed non hæc fuit mens Felicis Papæ, qui omnibus votis semper optavit, ut Acacius abjecto pristino errore, & repudiata hæreticorum Communioni, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reverteretur. Cum ergo dicit Acacium nunquam anathematis vinculis exuendum esse, verba sunt comminantis, quibus Acacio denuntiat nunquam illum anathematis vinculo liberandum, nisi resipuerit & ab hæreticorum communicatione se se penitus abruperit. Ita certè hunc locum explicat Gelasius Papa in tomo de anathematis vinculo, in quo respondet Orientalibus, in sententia damnationis Acacii hæc Felicis Papæ verba reprehendebant. Verba Gelasii sunt hæc: *Quod etiam in Acacii sententia rationabiliter intueendum est, in qua etiamsi ei dictum est; Nunquamque solvendus: non est adjectum*

*A* tamen: *Etiamsi resipueris; etiamsi ab errore discesseris; etiamsi prevaricator esse destiteris. Quapropter in aperto est, ita dictum: Nunquam solvendus: sed talis scilicet, qualis est & ligatus: non autem talis effectus, qui sicut ligandus non erat, sic absolutus esse dicebatur.* Et aliquando post: *Itaque ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non posset absolvi, &c.*

In Caput VIII.

Resellitur Baronii sententia.

**H**Æc sunt quæ ad illustrationem historici Acacianæ ex optimis Scriptoribus collecta, pro virili parte contulimus; quæ aut à Baronio prætermissa, aut secus quam oportuit, commemorata sunt. Nam Baronius ad annum Christi 484. postquam retulit damnationem Vitalis atque Miseni, de Acacio ita scribit. His peractis, aliâ sessione cognita est Acacii causa; allatisque in medium cunctis manifestis ab eo perpetratis criminibus, sententiâ omnium est iudicatus; hæreticorum participatione pollutus. Atne sic quidem in eum excommunicationis sententiam intorquere Patribus hæcenus visum est: sed scriptis ad eum rursus litteris Synodalibus, admonitus est ut resipisceret: aliâ sciret, se excommunicationis sententiâ percellendum. De hac autem quæ præcessit sententiam admonitione testatur Liberatus. Et paulò post: *Porrò desiderantur ejusmodi litteræ Synodales ad Acacium missæ. Constat autem tantum abuisse, ut Acacius resipisceret: ut mox Joannem illum Apameæ Episcopum electum, qui nuper ipso Acacio agente, fuerat à Romano Pontifice cum Petro excommunicatus, idem Acacius creavit Tyri Episcopum: Petrum verò Fullonem confirmavit in sede Antiochena, ut Papæ Felicis litteræ datæ ad Clerum Constantinopolitanum declarant, quæ inferius recitandæ erunt.* Multa sunt in hac narratione quæ Baronio concedere non possumus. Primò enim quæ de Synodalibus litteris à Felice Papa ad Acacium missis scribit ex Liberato Diacono, ea nos paulò supra abundè, ut opinor, refutavimus. Deinde quod Baronius affirmat dilatam fuisse damnationis sententiam in Acacium, id manifestè resellitur ex epistola ipsius Synodi Romanæ ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopoli & per Bithyniam consistentes. In hac enim epistola quæ gestorum in illa Synodo Romana accuratam narrationem complectitur, primò quidem Vitalis ac Misenus damnati esse dicuntur: postea verò, nulla interposita dilatione, Acacius à sacerdotali honore & Ecclesiastica Communionem remouetur. Verba Epistolæ sunt hæc: *His ergo deterioribus compertis, Vitalem atque Misenum à sacerdotali collegio & sacrosancta Communionem suspendimus. Acacium quoque membris Christi peruciosius inhiantem, & per*